

In festo B. MARIAE DROSTE EX-VISCHERING  
HYMNUS AD LAUDES

Westfaliorum nobilium genus  
Ecclesiae fidum ex atavi die  
tibi indolem insevit paratam  
ad pia munera monialis.

Sed Marte vivax ancipiti labans  
vexataque inter saeculum et ordinem  
mox a Bono Pastore tracta  
Cordis amantis habes amores.

Electa ad urgens officium exterum  
domus caducae tu regimen tenes  
exile Lusitaniaeque  
coenobium amplificas honore.

Infirma quamvis corporis omnibus  
captique membris pectore eras viri  
tam mystico fervens calore  
quam iuveniliter actiosa.

Cordis propagantem usque Sacerrimi  
devotionem mystica commonet  
te visio tradenda Papae  
consecret orbem ut Amoris Arae.

Huic obsecuto Pontifice omini  
mundus sacratur totus inhospitus  
Fonti perenni caritatis  
et rata dat litania tura.

Sint saeculorum in saecula consona  
Cordi calenti iubila Filii  
Sibique in Ipso complacenti  
vota Patri pia Flaminique.

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM